



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Speciale Privilegium Cæsareum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

S P E C I A L E
P R I V I L E G I U M C Æ S A R E U M.

JOSEPHUS Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germania, Hungaria, Bohemia, Dalmatia, Croatia, Sclavonia &c. Rex, Archidux Austria, Dux Burgundia, Styria, Carinthia, Carniola, & Wirtembergæ, Comes Tyrolis. Agnoscimus & notum facimus, tenore presentium; universis; quod cum nobis noster & sacri imperii fidelis dilectus SERVATIUS NOETHEN Bibliopola Coloniensis humillimè exposuerit, à PP. Societatis JESU, Provincia Rhenanæ inferioris sibi factam esse potestatem typis excudendi librum in omni forma, cui titulus est, Theologia moralis antehac ex probatis auctoribus breviter concinnata à R. P. HERMANNO BUSENBAUM Societatis JESU, S. S. Theologiæ Licentiato, nunc pluribus partibus aucta à R. P. CLAUDIO LA CROIX ejusdem Societatis in Universitate Coloniensi SS. Theologiæ Doctore & Professore publico; vereri autem, ne, quod sæpius contingat, emulorum fraude, qui editionem istam imitentur, impendii sui fructu destituatur, ac propterea supplicaverit, ut sibi contra ejusmodi fraudes privilegio nostro Cæsareo, ad decem annos prospicere dignaremur: Nos submissa huic petitioni benignè annuerimus, ac proinde omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis & Bibliopegis aliisque quibuscunque librariam negotiationem exercentibus firmiter, seriòque inhibuerimus & vetamus, ne quis dictum librum per decennium, ab hodierno die computandum, in Sacro Romano Imperio, Regnorumque & Provinciarum Nostrarum hereditariarum finibus; sub quocunque prætextu, sive in toto, sive in parte, mutatisve titulis recudere, vel aliò recudendum dare, alibi impressum apportare, vendere, vel distrahere clam vel palàm absque ipsius SERVATII NOETHEN expresso & in scriptis

† 2

ptis

(O)

ptis obtento consensu præsumat: si quis verò secus faci-
endo, privilegium & interdictum hoc Nostrium Cæsareum
violare aut transgredi ausus fuerit, eum non modò ejus-
modi libris, perperam quippe recusis & adductis (quos
quidem Præfatus supplicans ubicumque deprehensos sive
propriâ authoritate, sive Magistratûs auxilio sibi vendica-
re poterit) de facto privandum, sed & pœna in super sex
marcarum auri puri Fisco Nostro & fraudis vindici &
prædicto supplicanti ex æquo pendendarum, omni spe ve-
niæ sublatâ decernimus mulctandum, dummodo tamen
hujus privilegii Nostri Cæsarei tenorem pro publica noti-
tia, atque cautela in fronte expressum adhibeat, & ejus-
modi quinque exemplaria ad Cancellariam Nostram
Imperialem Aulicam sumptibus impetrantis transmit-
tantur. Mandamus proinde universis & singulis Nostreis
& Sacri Imperii, Regnorumque & Provinciarum No-
strarum hereditariarum Subditis, & cujuscunque statûs,
gradûs, ordinis, dignitatis, conditionis, aut præeminentiæ
existant, tam Ecclesiasticis quàm Secularibus, præsertim
iis, qui in Magistratu constituti, vel proprio vel Superio-
rum suorum Nomine vel loco, Juris & Justitiæ Admini-
strationem exercent, ne quenquam privilegium hoc No-
strum Cæsareum temerè & impune transgredi aut vio-
lare patiantur, quin potiùs contumaces, si quos compere-
rint, præscriptâ pœnâ plecti, aliisque modis idoneis coer-
ceri curent, quatenus & ipsi eandem mulctam evitare
voluerint. Harum testimonio literarum manu Nostrâ
subscriptarum, & sigilli Nostri Cæsarei appensione mu-
nitarum, quæ dabantur in Civitate Nostra Vienna decimâ
quartâ die Martii, Anno Millesimo septingentesimo octa-
vo, Regnorum Nostrorum, Romani decimo nono, Hunga-
rici vigesimo primo, Bohemici verò tertio.

(L.S.)

JOSEPHUS m.p.

Vt. Fred. Carl. Com. de Schônborn m.p.

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium.

Lutzo Dolbero m.p.

INDEX